

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber  
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput XXXVIII. De ultate lacrymarum et de commutatione earum.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

hi etiam, si meam devote recolerent passionem , attendentes vulnera mea , quam profunde et quanto dolore infixa sunt mihi, ab omni eos torpore excitarent. ,

Tunc orabat pro una persona, quam statim in præsentia Domini in alba veste stantem vidit, et Dominum manus suas ad ejus manus applicantem ; per quod intellexit quod a dextera sua daret ei adjutorium et fortitudinem ad omne opus bonum, sinistra vero protectionem in adversis.

Cogitante autem illa quid per manicas tunicæ designari posset, et cur eis Religiosi uterentur, dixit Dominus ad eam: « Hoc per manicarum amplitudinem designatur, quod Religiosi ampla et parata corda semper habere debent ad omne mandatum. » Et ait Dominus : « Hoc dices personæ pro qua oras, ut a lacrymis se temperet ; quod dum nullo, modo potest, lacrymis meis suas apponat, dolens quod pro peccatoribus et ex amore eas non effuderit ; tunc eas lacrymis meis unitas, Patri meo in laudem, prout voluerit, præsentabo. »

Alia vice cum pro eadem oraret, vidit animam ejus in Corde Dei velut infantulum stare, et Cor Dei manibus suis tenere. Et ait Dominus : « Sic in omni tribulatione ad me veniat, et se ad Cor meum divinum teneat, quærens ibidem consolari ; tunc eam in æternum non derelinquam. »

Manicarum  
amplitudo  
quid  
significet.

Divino  
Cordi  
adhæren-  
dum in  
tribulatione.

## CAPUT XXXVIII.

### DE UTILITATE LACRYMARUM ET DE COMMUTATIONE EARUM.

**Q**UÆDAM plurimum gravabatur, pro eo quod a lacrymis ex quadam infirmitate se temperare nequibat. Per quinque fere annos continuos in tantum fleverat, ut merito

si non misericordia Dei sibi non affuisset, sensus aut visum inde amisisset. Rogavitque istam et alias ut pro se orarent, quatenus ab hoc temptationis gravamine per Dei clementiam solveretur. Cui hæc pie compatiens, eam sæpius benigne consolabatur, et attentius pro ea Domino preces effundebat. Igitur illa in brevi est liberata, ita ut hæc super hoc Dominum quæreret quomodo a tanta tristitia esset tam subito imminutata. Cui Dominus respondit: « Ex sola bonitate mea eam absolvı. » Et adjecit: « Dic sibi ex parte mei ut me roget, quatenus propter meam bonitatem omnes illas lacrymas commutem, ac si eas ex amore et devotione et ex contritione peccatorum effuderit. » Quod illa aujiens, mirari cœpit quomodo lacrymæ tam inutiliter fusæ, in tam sanctas lacrymas possent commutari. Cui Dominus: « Solummodo, inquit, bonitati meæ credat, et in quantum mihi crediderit, in tantum in ea complebo. »

O mira et stupenda divinæ pietatis dignatio, quæ tam liberaliter per tales tantasque consolationes dignatur miseris subvenire! Quisquis hæc legis vel audis, tales consolationes a Deo per suam dilectionem hominibus factas, consulo tibi ut etiam tibi factas usurpes; quia et hoc sibi Deus revelavit multum complacere, si quod uni faceret, hoc alter sibi factum sive faciendum vendicaret. Multas et alias spirituales consolationes ab ea quamplures sunt consecuti; sed sæpissime quasi doctrinam eis proponebat; quandoque ac si ab alio aliquo percepisset, eis indicabat. Benedictus igitur per omnia Deus, qui talem interventricem apud ipsum nobis contulit, quæ orationibus continuis, et sedulis instructionibus aut consolationibus benigna mater exstitit miserorum!

Lacrymæ  
ex infirmi-  
tate in  
meritum  
devotionis  
transeunt.

Quod per  
Mechtildem  
aliis Deus  
tribuit  
quisque  
suum faciat.